C

NOMINA.

Lysimachia unde appellata.

Salicaria.

ΛΥΣΙΜΑΧΙΟΝ græcè, Lysimachia latinè, uulgò Salicaria, germanicè Weiderich nominatur. Lysimachia uerò ab eius inuentore Lysimacho appellata, aut quia uis tanta herbę, ut iumentis discordantibus impositа iugo, asperitatem cohibeat. Quare à dissoluenda dissidentium pugna, non ineptè Lysimachia uidebit nominata. Salicaria uerò quod folia salicis, aut quod inter salices nascatur, dicta est.

GENERA.

Lysimachię duo esse genera ex Dioscoride & Plinio satis liquet. Plinij enim pur pureum florem habet, hinc nos illam purpureã appellauimus, Germanicè b:aun Weiderich. Dioscoridis uero rufos, hoc est, aureos, ut metipse interpretatur, flores obtinet, ideoq; luteam nominauimus, Germanicè geel Weiderich. Et hæc quidem altera magis adstringit, inq; usu medico hoc nomine eidem præferenda.

FORMA.

Caules profert cubitales, aut etiam maiores, tenues, fruticosos, quorum à geniculis folia exeunt gracilia, salici similia, gustum adstringentia, flores rufos, aut ad auri colorem declinantes. Ex qua pictura nulli non notum fit, plantas quas pictas damus esse Lysimachias. Caules enim emittunt cubitales, & multo quoque longiores, tenues & fruticosos. Folia etiam habent salicis, cum lentore quodam adstringentia. Flores hæc rufos, illa autem purpureos habet, ut non contemnendus autor est Plinius. His accedit locus natalis, & alia quæ referre non attinet.

LOCVS.

Nascuntur palustribus locis, & prope aquas, potissimũ ubi salices proueniunt.

TEMPVS.

D Iunio & Iulio mensibus florent, ac subinde purpurea in siliquis oblongis semen producit, lutea uerò decidentibus floribus, semen exiguum, Coriandro haud dissimile profert, quod gustum non secus atque folia adstringit.

TEMPERAMENTVM.

Superantem adstrictoriam qualitatem, adeoq; exiccatoriam uim obtinent.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Succus foliorum eius, cui adstringendi facultas est, ad sanguinis excreationes & dysenterias potus & infusus confert. Sistit & mulierum fluxum appositus. Contra erumpentem è naribus sanguinem herba ipsa utiliter inseritur. Vulneraria etiam est, & sanguinem compescit. Incensa acerrimum habet fumum, ut serpentes quidem abigat, & muscas enecet.

EX GALENO.

Vulnera glutinat, erumpentemq; ex naribus sanguinem emplastri modo illita sistit: quin & reliquas sanguinis eruptiones compescere tum ipsa, tum succus eius multò magis potest. Pota dysenterias, sanguinis reiectiones ac muliebrem fluxum sanat.

EX PLINIO.

Vis eius tanta est, ut iumentis discordantibus iugo imposita, asperitatem cohibeat. Pota uel illita, uel naribus indita, sanguinis profluuium sistit. Vulneribus ijs priuatim quæ calceamento facta sunt contrita & arida infricata efficax est.

DE LAGO-

LYSIMACHIA
PVRPVREA.